

K.K.377,25.

In
4807

DISSE^TRATI^O
DE
USU HISTORIÆ
HELVETICÆ,
ET
PRÆCIPUIS EJUS Scriptoribus,
QUAM
DEO O. M. ANNUENTE,
JUSSU
MAGNIFICI PHILOSOPHORUM
ORDINIS,
PRO
GRADU MAGISTRI ARTIUM RITE
consequendo,

P R A E S I D E
Viro plurimum Reverendo & Clarissimo,
J. CHRISTOPHORO BECKIO,
SS. Theol. Licent. & Hist. Prof.
ERUDITIS EXAMINANDAM PROPONIT,
E MANUEL FÆSCHIUS,
Basil. Auctor.

Die 23. Januarii M D CC XXXXII.

H. L. Q. S.

B A S I L E A E,
Typis, JOH. CONRADI à MECHEL VIDUE,

715.

24

V I R I S

NOBILISSIMIS ET STRENUISSIMIS, OMNI
LAUDUM GENERE CONDECORATISSIMIS

DN. JACOBO FÆSCHIO,
in Legionibus Regis Christianissimi Cen-
turioni, Cohortum Legionis secundæ Helveticæ a
Seedorf Præfecto fortissimo, Reipublicæ Patriæ Du-
centumviro, ex Sacris fontibus Susceptorι Venerando.

N E C N O N

DN. CHRISTOPH. FÆSCHIO,
Centurioni Legionis Helveticæ a Cour-
ten in iisdem Regis Christianissimi Legionibus;

Patruis Honoratissimis

Has Studiorum Primitias dedicat



EMANUEL FÆSCHIUS.



DE USU HELVETICÆ HISTORIÆ, ET PRÆ-
cipuis ejus scriptoribus.

§. I.



ON inutile visum est, paucis agere de Usu Historiæ Patriæ, & præcipuis ejus Scriptoribus; Ita nempe futurum esse credo, ut eo cupidiores ad eam cognoscendam fiamus, si utilitatem consideraverimus. Et simul quoque sciamus, undenam rerum istarum cognitionem haurire possumus.

§. II.

Non opus esse puto multa repetere de Utilitate Studii Historici in genere. Possunt de ea re legi, qui dedita opera id argumentum tractaverunt: Unicum hic utile erit observare, Historiarum insignem esse usum ad prudentiam civilem comparandam, Haec autem dubitari non potest, quin cuilibet maxime necessaria sit, qui aliquas sibi Partes in Republica administranda sumere cupit.

§. III.

Quum vero in Republica nostra ea sit singulorum Civium conditio, ut omnibus pariter pateat aditus ad summos Civitatis Honores; Nemo non videt, quam necessaria etiam sit unicuique civilis prudentia. Quomodo vero melius commodiusque ea parabitur, quam per diligentem rerum in hac nostra civitate geltarum cognitionem? Haec enim

enim quarumcunque rerum exempla suppeditat, & priorum imitatio-
ne ostendit, quomodo posteriores sese gerere debeant.

§. IV.

Neque vero tantum homines Politici instituti veluti pro-
priam sibi vindicare debent Historiae Patriæ cognitionem. Namque &
qui Ecclesiæ operam suam dicaverunt, eos non oportet ejus esse pror-
fus ignaros. Hæc cognitione ipsis utilis esse potest, non eo quidem,
quod rebus civilibus sese admiscere debeant, sed propter duas præcipue
causas; ^{1^{mo}.} etenim sæpe fit, ut a Magistratu in Consilium adhibeantur
& quæstiones iis proponantur ad religionem quidem pertinentes,
quæ tamen cum rebus civilibus magnam connexionem habeant, ita,
ut sine harum cognitione illæ semper dijudicari non possint. Deinde
sæpe Pastores aliquid, quod in Republica fit, reprehendunt, quod
certe non reprehenderent, si rationes Politicas nossent: quamvis mea
quidem sententia prudentiores videntur illi, qui de rebus Politicis pro
concione sibi nunquam agendum esse putant.

§. V.

Porro de Ecclesiasticis etiam hoc observandum, eos posse
tanto majorem ex Historiarum studio capere utilitatem; quia in iis
non profana modo, sed & ad Sacra & Ecclesiam pertinentia traduntur.

§. VI.

Verissimum itaque illud Livii, in Proem. Historiae: *Hoc
illud præcipue est in cognitione rerum salubre & frugiferum, omnis te
exempli documenta in illustri posita monumento, intueri; Inde tibi, tuæ
que Reipublicæ, quod imitere, capias, inde fædum inceptu fædum
exitu, quod vites.* Non minus autem historia nostra Patria in pro-
ferendis virtutis ac bene actorum exemplis fertilis est, quam ceteræ
omnes. Præterea etiam hæc eo majorem habent vim, quod ab no-
stræ Gentis hominibus edita, & ab iis profecta sunt, a quibus ipsi
ortum ducimus.

§. VII.

§. VII.

Si quæ Græcis aut Romanis acciderunt, a nobis aliena videri possunt, ideo, quia aut temporibus nimium remota, aut Nationes ipsæ dudum deletæ sunt; Ita tamen Helvetica a nobis minime aliena censi debent; Nimirum paucis seculis nobis sunt priora, & ab ipsis majoribus nostris gesta.

§. VIII.

Quod vero ad Politicam attinet rationem, manifestum est, nihil magis esse necessarium; Ita nimirum originem Nationis nostræ, ita foederis causas & initia cognoscimus, ita discimus, quibus rationibus libertatem sibi pepererint & hoc usque conservaverint; ut & iisdem artibus uti possimus. Eadem ratione etiam nobis innotescit, quo Jure, quoive Titulo Helvetii, hanc, illamve suarum ditiorum partem teneant, quod ostendit, quibus rationibus earum possessionem defendere conveniat; Non enim existimandum est, in ignorantia hominum hic aliquod Praesidium esse querendum; sed in recta cognitione id certe invenitur.

§. IX.

Quis porro cum fructu & laude legationes pro Patria suscipiet, nisi qui Patriæ rerum sit peritus; qui noverit, quænam Patria inter se, quænam cum exteris inierint Helvetii, quænam domi, militiaeque gesta his causam & occasionem præbuerint? Quis de foederibus restituendis, aut ineundis utilia dabit consilia, nisi qui noverit, qualia, quamque arcta foedera nobis olim cum exteris intercesserint, qualemve nobis aut illis attulerint utilitatem. Siquidem ad normam priorum foederum examinanda sunt nova, & quale commodum, dampnumve ex prioribus redundaverit, simile ex futuris redundaturum videtur.

§. X.

Verum enimvero talis intelligitur esse non utilitas modo

Historiæ Patriæ , sed etiam necessitas , ut non tantæ laudi sit , res gestas majorum tenere , quanta est turpitudini , eas vel prorsus ignorare , vel tenui modo fama percepisse . Huc pertinet illud Ciceronis : *Nescire , quid antequam natus sis acciderit , id est semper esse Puerum :* quod , cum de omni valeat Historia , imprimis de Patria pulchre dicitur . Qui ergo puerilem exuere Ignorantiam vult , aut paullum modo supra plebeculam sese efferre , eum his rebus cognoscendis operam dare convenit .

§. XI.

Noscituro autem Historiam Patriam , utilitati haud contemnendæ erit , nosse ejus scriptores ; Imo quid dico ? necessarium plane hoc est ad Patriæ historiæ notitiam sibi comparandam . Omnes , cum nemo legerit , neque fortasse legere possit , qui ad res Patrias cognoscendas pertinent , in hoc tamen rei cardo vertitur , ut sciamus , quosnam legere , quosnam in consilium adhibere conveniat , cum aliquid diligenterius excutere cupimus .

§. XII.

Scriptores Historiæ Helveticæ diversorum sunt generum ; Alii scripserunt historiam universalem omnium Helvetiorum , inde ab antiquioribus temporibus ad ea usque , quibus ipsi vixerunt , aut faltem proxime . Alii unius civitatis res gestas memorie prodiderunt , aut unius etiam belli historiam composuerunt : Rursus alii majoribus id fecerunt Libris , alii minoribus . Ad posteriores pertinent : *Josias Simlerus , Franciscus Guillimannus , Job. Henr. Rhanius , & Job. Henricus Suicerus .*

§. XIII.

Josias Simlerus in Cappel Agri Tigurini Vico natus , quem Helvetiorum Bella intestina nobilem fecerunt . Lucem aspergit , Anno C. 1530 . Tiguri educatus , studiisque addicetus est , ubi etiam factus postea S. Theol. Prof. diligent laborc complura edidit scripta , & Theologica , & Critica , & Historica . Ad nostrum institutum pertinent , *Libri duo*

duo de Republica Helvetiorum, quorum priore continetur historia ab initio foederum ad A. C. 1519. id est, ad Reformationis tempora. Altero Libro de regimine Helvetiorum & institutis cum communibus omnium, tum privatis singularum civitatum agit. Hi autem de Helv. Republ. Libri & Vernaculo, & latino Sermone saepius editi sunt. Ex Vernaculis optima & plenissima Editio est, quæ Tiguri prodiit Ao. 1735. in 4^{to}. cui Job. Jac. Leo V. C. plurimas annotationes doctissimas adjecit, qui idem & præmisit antiquissimam Helvetiae Historiam, eamque cum Simleri initiis contexuit, qui, ut modo dictum a tempore foederis primi initi, deum incipit. In fine autem addidit brevem continuationem ad annum usque 1735. Latina vero Editio ibidem Ao. 1734. prodiit in 8^{vo}, quæ optima est, & brevi historiæ antiquioris compendio instructa ab Job. Conr. Fueslino C. V. qui etiam addidit excerpta ex variis Authoribus, quæ nonnullam continuationem ad nostra usque tempora continent.

§. XIV.

Franciscus Guillimannus, Aventico - Friburgensis, genere, virtute & eruditione nobilissimus fuit. Hic de rebus Helvetiae Libros V. edidit Ao. 1598. in quibus Gentis nostræ antiquitates potissimum illustrantur, historia usque ad Guillimanni tempora productur: scriptor profecto doctissimus, neque judicii acumine carens, quod & de rebus Habsburg. ab eodem conscriptis, intelligendum.

§. XV.

Job. Henr. Rhanius, natus Ao. 1646. per varias Reipubl. Tig. dignitates politicas transit, & incredibili diligentia, quæ ad res Helvetica pertinet omnia conquisivit; Obiit Ao. 1708. De ejus diligentia ex eo judicari potest, quod reliquit XXX. Volumina Msc. rerum Helveticarum. Ipsam vero historiam usque ad annum 1701. descripsit 4. Voluminibus grandioribus, quæ nondum edita sunt. Quæ vero ^{Msc. restat} ^{Obiit 1708} ^{in der Wettbewerb} ^{leide Landshut} pertinet, est Descriptio Historiæ Helv. Vernacule edita: *Eydguos* *Geschicht-Beschreibung*, Tiguri Ao. 1690. in 8^{vo}. ubi Ordine Chron-

Chronologico omnia ab antiquitate ad dictum annum est comple-

§. XVI.

Job. Henr. Suicerus, Pastor Rickenbacensis in Agro Tigurino, non confundendus cum alio ejusdem nominis, qui primum Tiguri, deinde Heidelbergæ Professor fuit, conscripsit Chronologiam Helveticam ab extrema antiquitate ad annum 1607. ubi quælibet acta suis annis diligenter reddita sunt.

§. XVII.

Sed majoris longe momenti est Consultis. Waldkirchii nostri Historia foederis & Status Helvetiorum Vernacule scripta, quæ ad nostra usque tempora procedit, & omnibus nota esse potest: quare plura de eo Libro dicere supersedemus.

§. XVIII.

Hi sunt præcipui ex iis, qui minoribus Voluminibus Historiam Helv. universam tradiderunt. Agendum nunc de Libris majoribus. Horum sunt itidem IV. *Job. Stumpfius*, *Michael Stettlerus*, *Aegidius Tschudius*, & *Jacobus Laufferus*; De singulis itaque pauca dicemus, ut, quinam, qualesque fuerint, appareat.

§. XIX.

Job. Stumpfius, Bruchsalæ in Episcopatu Spirensi Anno. 1500. natus, circa tempus Reformationis Tigurum venit, diuque in Agro ejus Civitatis Pastor fuit Ecclesiæ. Adventante autem senectute, & permittente Magistratu in Urbem concessit, & quietam in Urbe vitam egit, donec ex ea decederet Anno 1566. Conscripsit iste Germanica Lingua Chronica Helv. Libr. XIII. sed ita, ut Libro 1^{mo} contineatur descriptio totius Europæ Geographica & Chronographica; Libro 2^{do} descriptio & Historia Germaniæ, Libro 3^{to} descriptio & Hist.

& Hist. Galliae, Libris vero X. insequentibus diligentem tradit
Helvetiae antiquae & recentioris descriptionem cum Historia a Jul.
Cæsare usque ad annum 1548. quo ille Liber primum editus est. *in fol.*
Historiam deinde post mortem Patris pertexuit filius, *Joh. Rodolph. Stumpfius*, Eccles. Tigurinæ Antistes usque ad annum 1586.
VVaserus vero usque ad annum 1606. quapropter, quæ hoc anno
prodiit Editio omnibus est præferenda. Ceterum ipse *Joh. Stumpfius* Compendium sui Libri in 8^{vo}. edidit Anno 1554. sub Titulo:
Schweizer-Chronicæ. Hic scriptor propter diligentiam & fidem
merito magni cæstimator & jam apud nos paulo rarior fieri incipit,
licet communia Chronicorum ejus Ætatis vitia illi haud desint.

§. XX.

Michael Stettlerus, Politici Ordinis Homo fuit, de quo pauca
notata invenimus, cum tamen haud contempnendus rerum Patriarum
Auctor fuerit. Natus fuit Bernæ. Sed quo anno notatum haud inveni. Scripsit Vernacula Lingua Annales, sive rerum Helveticarum descrip-
tionem usque ad Annum 1627. quo Liber majori forma est editus. Ad-
jecit deinde res gestas .4 annorum, paucis foliis, quæ plenioribus exem-
pliis adjici solent, etiamque Titulus æri incisus, qui Annos 1631.
exhibit. Unde fortassis Opinio est orta, exstante duas Editiones, cum
una tantum sit, quod sciam.

§. XXI.

Ægidius Tschudius, Glaronæ Anno 1505. natus, etiam
Political & Civilem vitam est sectatus; mortuus Anno 1572. Re-
ligioni Pontificiæ addictus perpetuo fuit, Chronicon Helveticum
istius Authoris usque ad Annum 1734. ineditum mansit; Tunc
enim partem priorem ejus edidit Vir Doctiss. & Clariss. *J. R. Ise-
lius U. J. D.* cui deinde & altera ejusdem Viri incredibili studio &
diligentia, accessit; Edita igitur sunt 2. Volumina in folio, quæ
continent Historiam Universalem, & Helveticam potissimum ab Ao.

B

1000.

*Proprie
est Historia Hel-
vetica Diplomatica.*

1000. usque ad annum 1470. id est, annorum 470. Liber admodum utilis, & quo melius & commodius uti possumus, quam Stumpffio; In Tischudio enim omnia continuo narrationis filo secundum ordinem temporis connexa, & summa cum diligentia & cura exposita sunt.

§. XXII.

Jacobus Laufferus, denique nostris hisce temporibus vixit; natus est Mense Julio Anno 1688. Tobinii oppido Helvetiae notissimo, quod in Bernatum est Clientela. Anno 1717. factus fuit Professor Historiae & Eloquentiae apud Bernates, Vir insigniter doctus & industrius; Per scalas noctu delapsus obiit m. Febr. 1734. Descripsit eleganti Stilo Germanico, quo Sermone etiam usi tres superiores, Historiam Helvetiorum a Jul. Cæsare ad A. C. 1657. Ulterius perrecturus, nisi fatum impeditivisset; imo, quum ne ipse baillival Bochat quidem annus 57^{mus} Seculi XVII. plane esset absolutus, cum obi-
compta & traducta ret, ad umbilicum demum perductus est ab J. G. Altmanno V. C.
ce Libre en François Prof. Bernensi, qui & Præfationem Libro præmisit. Edi autem
au. il mettra je cœpit Laufferi Opus Anno 1736, & nunc integrum conficit To-
mos XVIII. in 8^{vo}. Habet iste Liber quædam in quibus ceteris
omnibus ejusdem Argumenti est præferendus; Imprimis elegantem
dictionem Germanicam, & ordinem narrationis ad imitationem T.
Livii compositam. Non tamen vitiis caret, cum, quoad stylum,
tum quoad ipsam narrationem.

§. XXIII.

Enimvero hæc sola Historia ex illis est, quæ *Pragmaticæ* appellari solent; Historiæ Pragmaticæ autem dicuntur illæ, quæ non exitum tantum rerum gestarum, sed & occasiones, causas, even-
tus varios, qui ad eas producendas concurrerunt, exponunt.

§. XXIV.

§. XXIV.

Talis revera est Historia Laufferiana; Itaque & hæc recte *Historia*, quæ vero *Stumpfius*, *Stettlerus*, & *Tschudius* scripsere, *Chronica*, sive *Annales* appellantur. Quod in *Lauffero* merito reprehenditur est, quod Auctores, quos in consilium adhibuit, non allegat, quapropter etiam Viri doctissimi apud Tigurinos cœperunt libellos quosdam, quibus usus erat, scorsim edere, quorum prodierunt jam IV. Tomi in 8. sub Titulo: *Critische Beyträge zu Lauffers Historie*. Tig. Anno 1739.

§. XXV.

Hi sunt scriptores præcipui universalis Historiæ Helv. Qui vero unius Civitatis aut Belli res gestas adnotarunt, multo plures sunt. Quapropter omnes non enumerabimus, sed aliquos tantum, qui majoris momenti sunt, recensēbimus.

§. XXVI.

Tigurini e. g. non habent peculiarem Urbis Historiam; Ea tamen non mediocriter illustratur *Johannis Henr. Hottingeri* speculo Tigurino. *Bernenses* itidem in *Stettlero*, qui Bernensis fuit, ut & in *Lauffero* res suæ Civitatis accuratissime descriptas habent. *Glaronensium Chronicon* edidit *Job. Henricus Tschudius*. Nobis *Basilienibus* plurima præ ceteris est gloriæ materia. Habuimus nimirum *Christianum Ursistium*, qui natus fuit Anno 1544. Matheos I^{num} deinde Theologiae Professor, tandem etiam Archigrammateus factus est. Obiit Anno 1588. Mense Martio. Edidit I^{mo} *Epitomen Historiæ Basiliensis* cum Episcoporum Catalogo, latine in 8^{vo}. exstant duæ Editiones, altera Anno 1569. altera Ao. 1577. Sed postea Anno 1580. *Chronicon Basileense* idem edidit in folio; Qui Liber excellentissimus plurimum etiam prodeſſe ad res universæ Helvetiæ, item Germaniae, Galliæque cognoscendas potest.

B 2

Salodo

QK IIa 4807

X 3 M 7589

893 12 (893)

Salodorum 1668

Salodorenses habent Franc. Haffneri Theatrum in 4^{to}. Salod. Anno 1666. Rhati, Gabrielem Bucelinum & Fortunatum Sprecherum a Bernecke, alii alios, quos omnes hic enarrandi locus non est.

#Grafenbryng
Innu Unniggen
in Rhatijscham Lantum

Haffneri Brn 1703 4to

Celare est praeceit du Quod ad tempora, quorum Historia describitur, attinet, ibi
Lahm en allemand particulares sunt Scriptores Helvetii complures, quorum duos tan-
tum adferimus. Job. Vitoduranus sive de oppido VVinterthur
Monachus Ord. Minorum, Chronicon a Friderico II. Imperatore
Anno 1212. ad annum 1348. quo tempore ipse vixit, reliquit,
Librum in multis utilem, primum quidem in Eccardi Cor-
pore Hist. deinde emendatus in Thesauro Hist. Helvetiae editum.
Bilibaldus Pirkeimerus Norimbergenis, qui obiit Anno 1530. re-
liquit descriptionem Belli Helv. Anno 1499. cum Sociis foederis
Suevici gesti, duobus Libris, in quorum primo etiam Helvetiorum
foederis originem tradit; Ut alios omittamus. Nam de iis, qui
seorsim res Ecclesiasticas Helvetiae scripsierunt, nunc non agimus.

S. XXVII.


De octauitate uerbis Basileac ^{Eccac}
Helvet. Sav. acq. ex roffgacq, T A N T U M.

vera et suauia imagnib[us]
quibusdam iustitia opera
juste et impensis facta
Kissingen Basileac
Graf. Leac 162 a. 4.



Basilea levata, retecta, continua hyacintha d. o. M. Joanne Griffo
Pastore Leonhardino ad an. 1619 spissim collecta. Nunc vero
ad an. 1661 continuata, opera Joannis Tongolae Coetig
Haf. qui Basileac colligit. ministri Basileac 1661.

Merian's Topographia Helvetiae s. ubi in specie typas uertis
Basileac eornuta.



I S S E R T A T I O
 D E
HISTORIÆ
L V E T I C A Æ,
 E T
 S E J U S S C R I P T O R I B U S ,
 Q U A M
M. A N N U E N T E ,
 J U S S U
C I P H I L O S O P H O R U M
O R D I N I S ,
 P R O
A G I S T R I A R T I U M R I T E
 consequendo,
R A E S I D E
 um Reverendo & Clarissimo,
C O P H O R O B E C K I O ,
 theol. Licent. & Hist. Prof.
 EXAMINANDAM PROPONIT,
J E L F A E S C H I U S ,
 Bafil. Auctor.
 3. Januarii M D C C X X X X I I .
 H. L. Q. S.

B A S I L E Æ ,
 C O N R A D I à M E C H E L V I D U Æ ,



24